

1739.


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

No 1739.



M. Tischler fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

=L N. 1320

M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

1739.

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPUTATIONUM ETHICARUM VICESIMA ET ULTIMA:

DE BEATITUDINE THEORETICA ET PRACTICA:

propoſita à

M. NICOLAO PETRÆO Huſano Holſato:

defendenda à

IOACHIMO DRAGUN Schleſvicenſi Holſ.

In privato Collegio, 5. Junij in Academiâ Roſtochienſi.

ROSTOCHII

Typis Auguſtini Ferberi Iunioris, 1596.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

Magnifico, Clariſsimo, Præſtantiſsimo
Viro,

Dn. IACOBO BORDINGO,

J. U. D.

Sereniſsimi Regis Daniæ conſiliario,
Illuſt: Prin: Megap: VDALRICI cancellario,
Academiæ Roſtochienſis Profeſſori,
Domino & fautori colendo S.

CVI VLTIMAM HANC DISPVTATIONEM ETHI-*cam inſcriberem, præter te,* BORDINGE, *neminem hoc tempore inveni; quod multarum graviſsimarumq; inſtituti mei cauſſarum locum apud te habebit. Tu igitur diſputationem iſtam, vel illius tantum gratiâ, humanitate eâ, quâ ſemel me in arce principis tui Butzovianâ excepiſti, ſuſcipies, meq; amore & benevolentiâ tuâ complecteris; qui te ob virtutem & doctrinam tuam meritò colo & veneror; cujus hac diſputatione ad te miſſâ certiſsimum tibi teſtimonium exhibere & volui & debui. Vale Roſtochij. 3. junii. Anno 1596.*

T. M. S.

M. NICOLAVS PETRÆVS
Huſanus Holſatus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

1739.

THESES.

Ex cap: 6. 7. 8. 9. & ulti: lib: 10. Ethi: Nicoma:

1.

QVoniam hactenus de beatitudine, ut conditio diſciplinæ Ethicæ requirebat, de virtutibus tum moralibus, tum intellectualibus, de amicitiâ & voluptate ſuperiorib. novendecim diſputationibus ex Philoſophiâ Ariſtotelis Ethicâ diligentiſſimè egimus, nihil amplius reſtat proponendum, quàm ut ex eâdem pro naturâ diſciplinæ practicæ de beatitudine humanâ tum Theoreticâ tum Practicâ vicisſim proponamus.

2. Vt autem eò evidentius de utrâq; beatitudine hoc loco explicanda explicentur, repetendum primò ex ſecundâ diſputatione, beatitudinem non eſſe nudum habitum: nam ſi eſſet, jam per totam vitam nihil agenti, & maximis quoq; oppreſſo calamitatibus & ærumnis ineſſet: quæ abſurda.

3. Hoc ita probato, repetendum ſecundò, eſſe ἐνέργειαν operationem; &, cum operationes aliæ ſint neceſſariæ, & propter aliæ expetendæ, aliæ per ſe, beatitudinem in earum numero, quæ per ſe ſunt expetendæ, non earum, quæ propter aliud habendam eſſe: cujus enim rei hęc indiget? an non eſt ſuis bonis contenta?

4. Etenim operatio per ſe expetenda, aut proficiſcitur à virtute, aut à ludo & ioco. illa quidem verè & propriè operatio eſt per ſe expetenda: hæc quoq; vulgi opinione, quod multa in corpore & patrimonio incommoda & detrimenta ſubit, ut huic operationi vacet; & reges inſuper beati judicantur eſſe, qui talibus ludis vacare poſſunt. Nihil hæc probant, ut inter diſputandum videbimus.

5. Sed non eſt operatio in ludo & joco conſiſtens: 1. quia viro bono & virtute inſtructo illa operatio non videtur eſſe optima & per ſe expetenda. At nulla operatio revera per ſe eſt expetenda, niſi expetendam eam per ſe eſſe ſtatuat vir bonus, qui eſt unica & veriſsima rerum agendarum menſura. 2. quia omnia ageremus ob ludum & jocum: at quid abſurdius, quàm vigilare, laborare tantum ludi gratiâ, & omne ſuum ſtudium in rem tàm puerilem & ludicram conferre?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

6. 3. Quia operatio hæc in ludo fit alterius gratiâ, ut ſcilicet res ſerias agamus: an non enim ludus requieti ſimilis eſt? quam ideo amplexamur, ut poſt laborem laxamenti aliquid habeamus, ut eo alacrius deinde operemur. 4. Quia vita beata humana eſt κατ' ἀρετὴν ſecundum virtutem, ut alibi probatum eſt. At hæc in rebus gravibus & ſerijs, non in ludo & joco poſita eſt. Quis autem res ſerias ridiculis, jocoſis & ludicris meliores eſſe non fatetur?

7. 5. Quia iſta operatio non eſt hominis optimi & partis ſeu potentiæ animi melioris. At felicitas & optimo homini, hoc eſt, viro bono, & facultati animæ meliori tribuitur. 6. Quia iſtâ non minus poſtremus & infimi ſubſellii homo, quàm vir optimus & præſtantiſsimus potiri & frui poteſt: at non felicitate.

8. Ex his rectiſsimè concluditur, quod beatitudo non ſit operatio in ludo aut joco, ſed in virtute, ut re ſeriâ & honeſtâ occupata: hanc etenim ſolam vir bonus exercet, proſequitur, & probat. Cap: 6.

9. Eſt autem beatitudo duplex Theoretica & practica. De utrâque jam agemus; & quæ quâ præſtantior videbimus. De Theoreticâ primum. Cum igitur beatitudo in genere ſit ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν, rationi quoque conveniens eſt, eam virtuti præſtantiſsimæ conſentaneam eſſe; quæ ſit una cum operatione in optima hominis parte. Hæc pars vel potentia ſive ſit mens, ſive aliud quiddam, quod in homine eſt præſtantiſsimum, & ſecundum naturam imperat, rerumq; honeſtarum & divinarum in ſe notionem continet, ejus certè operatio ſecundum virtutẽ propriam perfecta & abſoluta erit beatitudo.

10. Hæc eſt in contemplatione, ſeu ſapientiæ functione, ἐυδαιμονία θεωρητικὴ dicta. Quod autem hæc contemplatio ſeu optima mentis operatio ſit ultima & præſtantiſsima hominis in hac vita beatitudo, aliquot probatur rationibus. 1. quia eſt perfectiſsima perfectiſsimæ in homine partis circa optimum objectum operatio. 2. quia eſt maximè continua: res enim aſſiduè magis contemplari, quàm quidvis agere poſſumus. At bonum quod magis eſt continuum, magis eſt bonum.

11. 3. Quia eſt maximè jucunda: inter omnes enim operatio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

rationes, quæ virtuti congruunt, eam, quæ ex ſapientia eſt, jucundiſsimam eſſe omnes ὁμολογουμένως ſtatuunt. Etenim mirabiles quaſdam tum ſinceritate, tum ſtabilitate ſapientia in ſe continet voluptates. 4. quia ipſa αὐτάρκεια in ea maximè reperitur, cum paucioribus quam εὐδαιμονία πρακτικὴ indigeat.

12. 5. Quia eſt propter ſe maximè expetenda, cum in ipſa contemplatione veritatis ſubſiſtat. 6. quia eſt maximè quieti ſimilis. Sic igitur & hæc, & quæcunq; alia viro beato tribuuntur, huic beatitudini theoreticæ inſunt: unde & hæc perfecta hominis erit beatitudo, ſi perfectam vitæ longitudinem adepta fuerit, ut nihil ſit in illâ ἀτελὲς.

13. Quin quoq; hæc vita ſeu beatitudo melior eſt, quàm hominis natura ferat, non enim homini ineſt quâ homo, ſed quâ divinum quiddam in eo reperitur. Et quanto mens toti concreto antecellit, tanto & ejus operatio alij operationi præſtat. Inſuper, ſi mens cum homine comparata diuinum quiddam eſt, vita quoq; menti conſentanea divina ſit neceſſe eſt, ſi cum humana conferatur.

14. Neque verò, ut quidam hic objiciunt, humana ſapere ac ſentire nos oportet, cum homines ſimus; neq; mortalia, cum mortales: ſed nos ipſos, quoad ejus fieri poteſt, à mortalitate vindicare, atq; omnia facere, ut illi noſtri parti, (h. e. menti vel rationi) quæ in nobis eſt optima, convenienter vivamus: hæc enim etſi τῷ ὄγκῳ mole parva eſt, δυνάμει tamen καὶ τιμιότητι poteſtate & honore longè omnibus antecellit.

cap: 7.

15. Iam quoq; de beatitudine practicâ, quam cū theoreticâ tantum conferemus; ſic enim utriuſq; vis & præſtantia facile patefient. Eſt ergo πρώτως καὶ κυρίως primariò & præcipuè εὐδαιμονία θεωρητικὴ beatitudo contemplativa beatitudo; δευτέρως ſecundariò verò εὐδαιμονία πρακτικὴ beatitudo activa; atque ſic inferior beatitudine Theoretica.

16. Eſſe autem beatitudinem practicam inferiorem beatitudine Theoretica, Theoreticâ vero præſtantiorem & ſuperiorē, quatuor probatur potiſsimū rationibus. I. quia beatitudo practica proveniens à prudentia & virtute morali directè eſt humana: verſatur enim 1. circa res humanas, ut in ſingulis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

virtutibus moralibus liquet. 2. circa compoſitum, id eſt, totum hominem in virtutibus moralibus cum affectibus conjunctis.

17. II. Quia etſi utraq; externis bonis indiget, beatitudo tamen theoretica paucioribus, practica pluribus indiget: ex quo etjam majorem illius perfectionem meritò eſſe ſtatuimus. III. quia beatitudo contemplativa, ut magis perfecta, magis Deo & beatis mentibus competit, quàm activa. IV Quia etſi neutra in bruta cadit animalia, minus tamen Theoretica: quâ longiſsimè homines ab irrationalibus diſtant. cap. 8.

18. Iam & bonis externis beatus Theoreticus (& practicus) indiget, cum ſit homo, & maximè quidem neceſſariis ad corporis ſui ſuſtentationem & vitæ conſervationem.

19 Non tamen multis indiget: nam neque practicus bonis externis ἐν ὑπεροχῇ in nimia copia indiget, cum in operationibus ſuis per ea tantum impediatur, ut in regibus videre licet: Et mediocribus bonis inſtructus melius virtuti conſentanea operari poteſt. Multo igitur minoribus indigebit Theoreticus.

20. Vnde Solon non malè eos beatos pronunciabat, qui & virtuoſè vixiſſent, & bonis externis mediocriter inſtructi fuiſſent. Cui Anaxagoras quoque ſuffragatus fuit. Horum judicio rectè fidem adhibeamus, cum vita ipſorum verbis ſeu ſermonibus responderit. Cap: 9.

21. Hæc de beatitudine tum practica tum Theoreticâ hoc loco ſufficiant: quæ quidem verbis pauca ſunt, pondere vero & re ipſa longè maxima & graviſsima.

22. Poſt hæc, omnibus, quæ ad tractationem de virtutibus, amicitia, voluptate & beatitudine requirebantur, diligentiſsimè pertractatis, Ariſtoteles perorationem attexit, & qua ratione homo vir bonus evadere poſsit (quod in totâ diſciplinâ Ethicâ tantum requiritur) fideliſsimè demonſtrat.

23. Dicit igitur Philoſophus, quod non ſufficiat, ut iſta præcepta cognoſcamus, ſed ut in actum quoq; producamus: quod non ſufficiat, ut virtutes cognitas & perſpectas habeamus, ſed ut ſecundum illas quoque agamus; & ſic viri boni dicamur.

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

1739.

24. Et apud generoſos quidem, ingenuos & benè educatos præcepta ſeu verba plurimum valent: lubenter enim ea admittunt, & corrigi ſe patiuntur: apud improbos verò, & vitioſos nihil aut parum efficiunt: hos enim ut perturbatione vitam ſuam dirigentes & vitijs deditos, quæ flectet oratio? hi non pudore, ſed metu coercendi ſunt.

25. Quocirca, ut præceptis doctrinæ viri boni fiant, requiritur inſuper conſuetudo vel bona inſtitutio: aut enim fiunt boni, ut communis eſt ſententia, naturâ, aut conſuetudine, aut doctrinâ. Atqui non propriè & præcipuè naturâ, cum in noſtrâ minimè ſit poteſtate, ſed à divina cauſſa in nobis excitetur.

26. Non doctrinâ quoq; primariò: hæc enim in ijs tantum fructum facit, qui aliquo modo bonâ educatione, ut agri per culturam ad ſemen alendum, præparati & ſubacti ſunt ad eam ſuſcipiendam.

27. Primarium igitur eſt conſuetudo bona ſeu bona educatio, ſive ſit publica, ſive ſit privata, ad quam ſi natura & doctrina deinde acceſſerint, jam tota ad virtutem via erit aperta.

28. Sed cum difficile ſit bonam educationem à puero conſequi, meritiſsimò in ſingulis rebuſpublicis, legibus bona educatio ſeu inſtitutio publica deſcripta eſſe debet: ut illis directi & incitati juvenes (& viri) ad virtutis ſtudium rectâ viâ contendant. Quod ſi leges publicæ tales non fuerint latæ, jam quilibet paterfamilias ſuæ familiæ leges præſcribere, eamq; honeſta educatione informare cogitur.

29. Ad leges tales publicas præcipuè ferendas requiritur legum ferendarum ſcientia, quæ in cognitione rerum agendarum catholicâ, & rerum ſingularium experientia conſiſtit: quarum hanc quilibet legis lator diligenti obſervatione ſibi comparare poteſt: illam Ariſtoteles accuratiſsimè & ſummo ingenii acumine libris octo politicorum deſcripſit; quos legere & relegere legis latori quaſi præſcriptum eſſe debet. Cap: 10.

30. Atq; ita viginti diſputationibus libros decem Ethicorum Nicomachéorum Ariſtotelis, ea qua potuimus diligentia & dexteritate, fide qua voluimus, obſervata capitum diſtinctione juxta exemplar Caſaubonianum Lugduni an: 90.

in fol:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)

in fol. apud Guillelmum Læmarium impreſſum reſolvimus, quod noſtrum in his diſputationibus inſtitutum tantum fuit; tum ut auditores ad præſtantiſsimum Ethicæ ſcriptorem ducerentur, tum ut iidem expeditam occaſionem philoſophiam Ariſtotelis Ethicam examinandi haberent.

COROLLARIA. Quæritur:

I. *Ex cap: 6. An in principatu & potentiâ conſiſtat virtus?*

II. *Ex cap: ultimo. An educatio ſeu inſtitutio privata ſit præferenda publicæ, an vero contra?*

III. *Ex cap: eodem. An lex, cum æquum & bonum præſcribat, non ſit gravis?*

Precatio.

ÆTerno Deo, patri Domini noſtri IESV Chriſti, devotiſsimo ſpiritu gratias ago, quod vires mihi in his diſputationum Ethicarum laboribus clementiſsimè ſuppeditare voluit: eundemq; ſimul ſubmiſſo animo oro, ut in poſterum quoq;, cum me non ad otium & deſidiam, ſed ad laborem, & non mihi tantum, ſed aliis etiam natum eſſe ſciam, pro immenſâ ſuâ bonitate, reliquis ſtudiorum meorum laboribus adeſſe, mihiq; virium & ingenij firmitudinem ſubminiſtrare velit; ut juventutis Academicæ ſtudijs eâ quâ volo fide, diligentiâ & promptitudine vacare & inſervire queam.

FINIS.

1739.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1739 4° (LN 1320)